



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Christina Mirabilis. 24. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

velitationis speciem præbuere. Et in hâc ipsâ cùm truncas corporis partes in vultum (hostis dicam an parentis?) projiceret, an non invito extorquere verecundiam potuit? Angeli deinde manu persuata an non iterum provocare hostem? Sed totâ ecce acie mors occurrerit: in lacum Vulsinum præcepis agitur, molari collo appenso. Vincit videlicet mari etiam virtus, & gaudet CHRISTINA à Christo toto lacu nunc baptizari, quæ omni sanguine nuper. Quid quòd incolumis enat, parens morte infelici stygiis undis mergitur? Quid ages, qui in officio pariter & odiis succidis Dion? quid Julianæ? oleum iterum ardens affundis? cum operâ perdis. picem ingeris? Christo adhæret. fornacem paras? iterum cantus inter flamas audis. serpentes cogis? jam stygios vicit. Uberta resecas? non eget his virgo. Sagittis denique petis? pennas addis in cælum volanti. Si nescis, illa tibi, illi meta cælum est. Ex Mart. Rom. Adone & Petr. de Natal.

Elige illum amicum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit in die sepulturæ tuae: cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam. S.Aug. Man.c.24.

S. CHRISTINA MIRABILIS.

24.Iulii.

Rectè Orbis CHRISTINAM mirabilem dicit, quando talis etiam est vita ejus. Tu quoque mecum mirare. In Hasbaniâ & nata & denata postquam oculis purgantium animarum in piacularibus flammis tormenta arbitrata est, patulum cælum habuit, nunquam excludenda, si semel modò ingredi libuisset. Sed commiseratio, quam in

ani-



animo visa supplicia reliquerant, tantum potuere, ut elegerit in vitam redire, & alienas noxas in suo corpusculo plectere ; probante ipso Christo Judice pium consilium. Horrescit animus narrare, quæ deinceps viva iterum virgo facere non exhorruit. Unum vita tota portentum fuit. Nam ut alia omittam, volucrem illa perniciate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi , jam glacie duratas aquas subire, modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare, interdum per sentes & vepreta voluntari, canumque dentes in se armare. Porro vaticinia complura edidit. De decretorio illo Judicij die magno animorum motu concionari solita, scelera omnia, sed luxuriem potissimum , assiduo fletu gemituque damnavit. In supremo tamen morbo recreata est Angelicis modulis , iterumque è vitâ abiens non unam jam animam cælo intulit. Ex Surio.

Si est sub terrâ Tartari carcer , si est combustio ardens , si est Infernus sine fine crucians , quid stupemus? quare non omnibus contemptis sola nobis cura sit evadendi à malis talibus , ne viventes mundo ad tantas tales, tam crudeles subito rapiamur pœnas? S. Pet. Chrys. serm. 124.

S. JACOBUS APOSTOLUS.

25.Iulii.

LAudes JACOBI scripturo pennam ultrò JACOBI volucres ingerunt. Audi juventus, & patronum tuum mecum lauda. Ibant conjuges pii Compostellam , & trahebant pietatis suæ comitem filium formâ liberali juvenem. O ut periculose castitas peregrinaris ! Hospitis filia oculis capra adolescentis, capere etiam ipsum nititur. Evidit hic muliebris amoris laqueos , sed non odii.

Sub-